


Ex v. 11. 12. 13. 14. collatis cum v. 6. 7. & 8. capituli X. ad Romanos. Sicut verbum Legis clarè expositum fuit populo Israëlitico: ita verbum Evangelii clarè expositum est populo Christiano.



C A P U T X X X I.

DEinde veniens Mosche, quum eloquutus esset verba ista apud omneis Jisraëlitas,

2 Dixit eis, Natus sum hodie centum viginti annos, non possim deinceps procedere & venire: prætereà Jehova dixit mihi, Non es transiturus Jardenem hunc.

3 Jehova deus tuus, is qui transit ante te, ipse excindet gentes istas à conspectu tuo, ut hæreditario jure possideas eas: Jehoschuah, is transiturus est ante te, quemadmodum dixit Jehova.

4 Facietque Jehova illis, quemadmodum fecit Sichoni & Hogo regibus Emoræi, terræque illorum: qui excidit eos.

5 Nam exponet eas Jehova vobis; ut faciatis eis secundum quodque præceptum quod præcepi vobis.

6 Confirmamini & fortes estote; ne timete, neque expavescite metu eorum: nam Jehova deus tuus is qui ambulat tecum, non deseret te, neque derelinquet te.

7 Postea evocans Mosche Jehoschuham, edixit ei ante oculos omnium Jisraëlitarum, Confirmare & fortis esto; nam tu ingressurus es cum populo hoc in terram quam juramento promi-

promi-